



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Etsi non semper illicita, periculosa tamen sortitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

tur, ad nauim deductus est. Domum vbi venit, ad defuncti pueri & iam septem annis sepulti tumulum accessit, terraque eruta, in genua procumbens, longam, cum vberimo fletu, orationem ad Christum effudit. Qua finita, vtrique consurgunt. Maurilius de oratione, & puer de morte: quem consecratum, ex euentu Renatum appellauit, habuitque post se, in Episcopatu Andegauenſi Successorem, & ipsum miraculorum grandium patratorem. Sic Maurilio defunctus puer, Maurilius populo suo redditus, maiore cum gaudio & honore domi exceptus, quam, in exilio, ad nauim, ingenti hominum multitudine concurrente, deductus est. Sic clauium repertarum fors Maurilium domum reduxit. Verum, vt de muneribus dici assolet, ita & hinc *nec omnia, nec passim, nec ab omnibus* imitanda sunt. Itaque ne aniculæ, cum his talibus, friuola, & gerris Siculis vaniora, permisceant, & *Hiberas nenas Egyptiāq;* vt D. Hieronymus ait, *portenta sectentur*, prouidè scoria ab auro est separanda. Quid si Maurilius, claues in mari sepultas, putas- set nunquam, sicut ferrum ad securim olim, nataturas, atq; ea loquendi formula indicare voluisset, se quoq; nunquam rediturum, atque ita non ipse *sortes*, aut signum reditus à Deo poposcisset, sed Deus non poscenti inuentionem clauium pro sortibus esse constituisset? Quod sæpe euenit nunc, nihil minùs, quam de *sortibus* cogitanti. Vnde nihil hinc in exemplum trahere possunt mali *sortium* vsurpatores.

Vlpianus in
Pandeſt. l. 1.
tit. de officio
Proconsulis,
ex epist. D.
Seueri & An-
tonini Impp.
S. Hieron.
in 12. qq.

CAPVT XXXV.

*Quenam exploratio diuina voluntatis, per sortes, aut
quæ fors sit licita?*

I.



Nunquam magis inter Scyllam & Charybdim nauiga- tur, quam cum de *Sortibus* est disputatio: vtrinque enim sunt scopuli: & qui omnes *Sortes* damnat, ma- lus est iudex, & qui omnes absoluit, impius vsur- pator. Recensui varias Sortes, & varios, qui illis vsi sunt, non tamen omnes probaui; improbus autem essem, si omnes reiecissem. Vt ergò tutò, etiam hac ratione, Dei iudicia indagari possint, sequentia dabo documenta.

Primum.